munitas saluas integras omniq suspicionis nota carent. Quas ut authoritate nostra Regia approbaret et confirmare dignaremur supplicatum est nobis. Earum vero tenor talis erat. Petrus Myszkowsky de Mirow etc. Nos itaq supplicationi praefatae annuentes literas eiusmodi quatenus iuri communi contrariae non sint in omnibus punctis et clausulis articulisq approbandas et confirmandas esse existimauimus approbamusq et confirmamus per praesentes. Atq in cuius rei fidem et testimonium praesentes manu nostra subscripsimus et sigillo Regni muniri iussimus.

Moratoriae Literae

Sigismundus etc. Significamus etc.

Quod cum nobis certo constaret Famatum Petrum Gluskowicz Armenum ciuem et Negociatorem Leopolien. multas merces et peccunias partim suas proprias partim in mutuum ab alijs creditoribus acceptas in Terras et ditiones imperatoris Turcarum victus quaerendi gratia misisse, intereaq accidisse, ut idem Turcarum imperator bellum contra Regnum nostrum pararet, et propterea illae merces peccuniae et Famuli praedicti Gluskowicz per multum tempus detinerentur mercatoribus nostris interim insignes usuras illic soluentibus. Cum vero propter eum casum idem quoq Petrus Gluskowicz creditoribus suis soluendo esse non posset ad nosq in hoc fortunae suae naufragio supplex confugeret faciendum esse existimauimus, ut rebus afflictis ipsius subueniremus. Ideo memoratum Petrum Gluskowicz in patrocinium et protectionem nostram Regiam suscepimus suscipimusq per praesentes eidemq praesentes literas nostras moratorias damus et concedimus atq illum ab impetitione et molestatione quorumuis creditorum ratione quorumcunq debitorum per eum contractorum ad decursum Unius anni a data praesentium computandi liberum esse volumus. Itaq literis hisce nostris sicuti ubiq in Regno et dominijs nostris tuto versari negotiaq sua licita et honesta agere poterit neq ante decursum Unius anni bienij cuiquam debitorum nomine respondere tenebitur persona rebusq ipsius per omnia saluis. Volumus tamen ut praesens nostra concessio eidem Petro Gluskowicz non nisi aduersus homines conditionis ciuilis non autem contra Nobiles seruiat. Ille interea bona sua in damnum creditorum non dilapidet. Quod ad omnium quorum interest notitiam deducimus simulq Mandamus ut literas et concessionem nostram praesentem in omnibus obseruent, ab alijsq obseruari curent. In cuius rei fidem etc.

Mandatum ad Ciues Praemislienses

Sigismundus etc.

Famatis Aduocato et Scabinis ciuitatis nostrae Praemisliensis

Fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam Famati Fid. nobis dilecti. Queritur Honesta Margaretha Cieckowa Famati Joannis Cieckoconsulis Premisliensis consors quod iustitiam de Honesto Valeriano Radzinskij qui iam vulneribus cruentis et enormibus multisque alijs iniurijs affecisse dicitur a Fid. vestris consequi nequeat. Mandamus itaque Fid. vestris, ut quamprimum literas presentes ad manus Fid. vestrarum pervenerint eidem Margarethae Cieczkowa de praefato Valeriano indilatam iustitiam administrent Pro gratia nostra et officio Fidelitatum Vestrarum debito Datum Cracoviae etc

Salvus conductus

Sigismundus etc Significamus etc

Nos certis de causis accepisse in patrocinium et protectionem nostram Regiam Nobilem ac Famatum Stanislaum Chmielickij Nobilis ac Famati Petri Chmielickij civis Cracoviensis filium Mutuo cum cui securitatis causa salvum conductum nostrum Regium a vi et potentia tam officij Capitanealis quam Magistratus civilis Civitatis Cleparidiensis et Casimiriensis omniumque personarum iuris ditioni civili subiectarum ad spacium sex mensium concessimus concedimusque literis hisce nostris quibus fretus tuto et secure ac sine perhorrescentia quarumuis personarum in Regno et Dominijs nostris versari negotiaque sua licita et honesta peragere possit personare busque ipsius omnibus sub nostra protectione salvis permaneat Ita tamen ut omnibus de se conquerentibus in foro competenti sese iustificet Item quoque ut beneficio hoc nostro non abutatur geratque et ipse sese pacate contra omnes neque rixarum et contentionum occasionem det et praeterea ut illis a quibus potissimum vim metruisset ad notitiam id officiose deducat et intimet Quod omnibus quorum interest praesertim vero Magistratibus horum quorumuis notum esse voluimus Mandantes ut requisiti a praefato Stanislao Chmielickij, vel ipsius mandatario has literas salvi conductus nostri publicari praeconis voce ac ad omnium notitiam deduci curent Iniungentes omnibus nequid contra Praenominatum Stanislaum Chmielickij vi et armis attentent, sed iure mediante de omnibus controversijs cum illo experiantur sub poenis in violatores salvi conductus nostri sancitis In cuius rei fidem etc

Mandatum

Sigismundus etc

Spectabili Joanni Cipar Iuris Supremi Magdeburgensis Castri Cracoviensis Scabino Fid. nobis dilecto gratiam nostram Regiam Spectabilis Fid: nobis dilecte Intelleximus Famatum Ludovicum Fiora Italum ex speciali nostra permissione certam summam pecuniariam Ducentorum quinquaginta florenorum quam olim Georgius Bandrata apud Fid: tuam habuit in certo suo debito arrestasse eiusque Aresti vigore